

gnosce iudicia, id est, praecepta Dei, et in eorum sorte tibi a Deo proposita persiste.

Secundo, Rabanus accipit sortem sanctitatis nobis propositam a Deo, ut per eam ipsius amici et filii evadamus: « Hortatur, inquit, ut post lapsum peccati rursus convertatur ad factorem suum, et relinquat errorem, per quem semetipsum illudendo decepit; deprecetur Dominum assidue pro offensionibus suis, atque tota animi sui intentione ad divinam confugiat pietatem; spernat idololatriam ac diabolicæ servitutis fallaciam, et discat mandatorum Dei normam rectissimam, ut in sorte sanctitatis, qua praelectus est, permaneat, et in laudibus Altissimi perseveret. » De hac sorte ait Paulus *Ephes.* 1, 11: « In quo etiam sorte vocati sumus; » et *Coloss.* 1, 12: « Dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum; » et S. Petrus, *epist.* II, cap. 1, 1: « Qui coequalem nobiscum sortiti sunt fidem in justitia. » Huic opposita sors impiorum, sive sors daemonis, de qua superius cap. VI, 4, dictum est: « Deducet in sortem impiorum; » et cap. XXV, 26: « Sors peccatorum cadat super illam. » Et S. Petrus ad Simonem Magum *Actor.* VIII, vers. 21: « Non est tibi pars, neque sors in sermone isto. » Hinc anagogice per sortem propositionis accipias sortem praedestinationis, quæ est sors gloriæ et felicitatis æternæ, de qua Angelus ad Daniele cap. XII, 13: « Tu autem, ait, vade ad præfinitum; et requiesces, et stabis in sorte tua in finem dierum. » Unde et subdit Siracides: « Vade in partes sæculi sancti, » etc.

Tertio, Lyranus: « Sta in sorte propositionis, » hoc est, inquit, sta in bono proposito.

Quarto, magis proprie et genuine: « Sta in sorte propositionis, » id est, persevera constanter et fortiter contra omnes suggestiones et tentationes mundi, carnis et diaboli in sorte tibi proposita, hoc est, in vocatione tua, tum novæ et sanctæ vitæ, qua a peccatis conversus es ad Dominum, de qua sermo præcessit; tum certæ status honesti et sancti, ut sacerdotii, Religionis, præfecturæ, et cuiuslibet alterius, quem Deus tibi proposuit, et ad quem te vocavit, quemque ex ejus propositione et vocatione tibi proposuisti et elegisti. Hæc enim est propositio Altissimi. Similiter sta et persiste in oratione Altissimi, ut scilicet Deum crebro ores pro auxilio gratiæ, quo digne tua sorte tuæque vocatione tibi proposita vivas.

Alludit ad tabernaculum et templum Judæorum: in hoc enim erant panes propositionis, ita dicti quod jugiter preponerentur et offerrentur Domino; atque altare thymiamatis, quod significabat orationem: hujus enim symbolum est thymiana, q. d. Sicut panes illi jugiter per totam hebdomadam permanebant in sua propositione, id est, manebant in mensa propositi Domino residenti in Sancto sanctorum, ac eidem offerebantur thymiana in altari: ita pariter tu per totam vitam permane in tua vocatione tibi a Deo proposita, ut ei vicissim te tuasque actiones omnes

jugiter proponas, offeras, dedices et consecres, ac, ut id facere queas, ei crebro offeras thymiana orationis, id est, gratiarum actionis, laudis et invocationis. Unde S. Paulus *Ephes.* cap. VI, 14, cum dixisset: « Stare ergo succincti lumbos, » subdit vers. 18: « Per omnem orationem et obsecrationem orantes (ut Deus vos sua gratia roborat ad standum) omni tempore in spiritu, et in ipso vigilantibus in omni instantia. » Nam, ut ait S. Chrysostomus, lib. I *De Orando Deum*: « Neque sola temperantia salvare potest hominem, neque cura pauperum, neque benignitas, etc. Sed oportet ut omnia simul concurrant in animas nostras: cæterum precatio eorum radix et basis omnibus subternitur. » Ad hanc sortem propositionis alludit S. Paulus, dum sæpe ait nos vocatos secundum propositum, id est, secundum Dei voluntatem et benevolentiam: « Sicut elegit nos, inquit, in ipso (Christo) ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate, etc., secundum propositum voluntatis suæ, etc., quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, » *Ephes.* 1, 4 et seq.

Denique per sortem accipe quemlibet vitæ statum, quem sponte, esto temere et imprudenter, elegisti, v. g. matrimonium cum uxore molesta, officium laboriosum, vel artem mechanicam, cui te addixisti. Hic enim si immobilis est, aut difficulter mobilis, tibi capessendus est, in eoque persistendum. Quare persuadere tibi debes, eum tibi a Deo ut immobilem jam proponi, ideoque Deum, si eum invocas, gratiam tibi daturum, ut eum sustinere, in eoque honeste et juste vivere possis, juxta illud Apostoli I *Corinth.* cap. VII, 20: « Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Servus vocatus es? non sit tibi curæ. » Huc facit proverbium Arabicum, *Cent.* 1, num. 96: « Quando non evenit tibi quod vis, velis quod evenit. » Et illud Terentii citatum a S. Augustino: « Cum non potes quod velis, velis quod potes. » Nam, ut ait Seneca in *Proverb.*: « Aberrare a fortuna tua non potes, obsidet te; fortunam citius reperias quam relineas. Feras, non culpes, quod mutari non potest. Ita fortuna tuæ eris faber et custos. »

Atque hæc in re consistit felicitas hujus vitæ, nimirum ut quis sorte sua contentus vivat; qui enim ea non est contentus, esto sit dives, sapiens, felix, reipsa est miser. Nam, ut ait Seneca: « Beatus non est qui se beatissimum non existimat. » Et Aristoteles lib. VII *Moral. Eudem.* citat et laudat veteris dictum: « Amicitia est stabilium, felicitas temperantium, » hoc est, eorum qui sua sorte contenti sunt. Qui ergo suam fortunam boni consulit, esto pauper sit, æger, afflicus, felix est: uti Martyres in suis tormentis felices fuere, quia ea pro Deo tolerare gaudebant. Et Euripides in *Gorgia*: « Necessum est mihi, juxta veteris ada-

gum, quod adest boni consulere, et hoc accipere quod abs te datur. » Et Pindarus in *Isthmiis*, hymno 3: « Sæculum autem volvendis diebus nunc huc, nunc illuc sese flecit. Cæterum dii (et homines divini, puta sapientes) extra telorum actum sunt. » Idem in *Pythiis*, hymno 7: « Aiunt sane sic viro stabilem florere felicitatem, si hæc et hæc ferat, » id est, si ferat tum prospera, tum adversa. Rationem dat Homerus, *Odyss.* X:

Dolia namque Jovis duo sunt in limine posta.

q. d. Deus cuique suam admittit prosperitatem et adversitatem utramque ergo æquo animo a Deo suo quisque acceptet. Nam « ubi mel, ibi fel: tibi uber, ibi tuber. » Romani duas coluere deas, Angeroniam et Volupiam: alteram ab angoribus, alteram a voluptate dictam. Angeroniæ simulacrum erat in ora Volupiae, ut significarent quod dolor comes sit voluptati, et voluptas dolori; habebat os obligatum et signatum, ut indicaret eos qui dolores et angores silenter ferunt ac dissimulant patientiæ beneficio, ad maximam pervenire voluptatem. Ita Macrobius, lib. I *In Somn. Scipionis*. Igitur quisque si felix esse velit, sorte sua, non tantum opum, conditionis et status, laborum et dolorum, sed et sapientiæ, virtutis et gratiæ, quam Deus illi admensus est, contentus esse debet. Hæc enim est felicitas Angelorum et Beatorum, in qua quisque sua sorte gratiæ et gloriæ contentus vivit. Angelus enim non optat esse Archangelus; hic non optat esse Principatus, nec hic esse ex Cherubim vel Seraphim; sed suo choro, gradu et loco, in quo a Deo collocatus est, quisque contentus vivit. Hos imitari nos decet. Sunt enim quidam, qui cum vident aliquem se sapienterem vel sancterem, sese discruciant; quod illi patres esse nequeant. Estque hoc vitium humanis insitum ingeniis, ut fere alienam sortem magis mirentur, suam contemnant et fastidiant, optent inexperta, experta damnent, juxta illud:

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

Illi sunt insipientes et infelices: nec enim omnes possunt esse Pauli Apostoli, Augustini, Athanasii: sufficit ut quisque gratiæ sibi a Deo datæ pro modico suo cooperetur, eamque adaugeat quoad potest; sed ad gratiam B. Virginis vel S. Pauli stolidè aspirat, quia illa Dei dono omnes gratiarum mensuras, quas Deus omnibus Sanctis largitur, longissime superat et transcendit: unde homini impossibile est eam assequi. Sic in corpore pes non optat esse manus vel oculus, sed sua sorte, loco et gradu contentus est: quo exemplo utitur Apostolus, I *Corinth.* XII, 14. Idem, I *Timoth.* cap. VI, 6: « Est, inquit, quæstus magnus, pietas cum sufficientia, » Græcè ἀρετή, id est, animo sibi sufficienti suisque contento. Vide utrobique dicta. Dicat ergo quisque Deo cum Psalte: « in manibus tuis sortes meæ, » *Psal.* XXX,

vers. 16. Tu, Domine, es magnæ hujus mundi aulæ modimperator, tu absolutus omnium es dominus, tuum est de nobis creaturis tuis statuere quod libet, imo quod sapientissimus tuæ providentiæ ordo sanxit: illi ergo me totum resigno, in quamcumque statione me quasi militem tuum collocaveris, illam libens et strenuus obibo, in illa conquiescam, dicamque: « In pace in idipsum dormiam et requiescam. » Hæc est sanctitas, hæc veritas, hæc vera felicitas. Ita S. Hieronymus, *epist.* 25, consolatur S. Paulam lugentem mortem Blesillæ filiae: « Qui se credere dicit in Christo, inquit, in omnibus Christi iudiciis gaudeat. Sanus sum, gratias refero creatori: languo, et in hoc laudo Domini voluntatem. »

Exstat festivus hæc de re apologus pavonis apud Phædrum, lib. III, *fabul.* 15. Pavo enim querebatur apud Junonem se a philomela superari cantu eumque sibi quasi digniori deponere. Respondit ei Juno, sua cuique a Deo tributa esse dona pavoni speciem et syrma caudæ, Philomelæ vocem, etc., quemque suo dono suæque sorte contentum esse debere. Sed audi Phædrum:

Favo ad Junonem venit, indigne ferens
Cantus lusciniæ quod sibi non tribuerit:
Illum esse cunctis avibus admirabilem,
Se derideri, simul ac vocem miserit.
Tunc consolandi gratia dixit Dea:
Sed forma vincis, vincis magnitudine.
Nitor smaragdi collo præfulget tuo,
Pictisque plumis gemmeam caudam explicas.
Quo mi, inquit, mutam speciem, si vincor sono?
Favorum arbitrio partes sunt vobis datæ:
Tibi forma, vires aquilæ, lusciniæ melos,
Augurium corvo, lava cornici omina,
Omnesque propriis sunt contentæ vocibus.

Affabulatio:

Noli affectare quod tibi non est datum,
Delusa ne spes ad querelam recidat.

Idipsum vidit per umbram Plato, qui teste Plutarcho, lib. *De Tranquill. animi*, id declarat exemplo aleæ: « In qua optimus quisque jactus aleatori maxime expetendus est: sed utcumque tamen venerit, adhibenda cura, ut eo quod casu tulerit, ipse rectissime utatur. » Et Terentius in *Adolphis* simili exemplo usus hæc ait:

Ita vita hominum, quasi cum ludas tesseris.
Si illud quod est maxime opus jactu, non cadit,
Illud quod cecidit sorte, id arte ut corrigas necesse est.

Rogavit quidam S. Antonium: « Quid faciam ut Deo gratus efficiar? » Cui ille tria præscripsit: primum: « Deum, inquit, semper præ oculis habe; » secundum: « Quodcumque opus aggressus fueris, S. Scripturæ testimonio illud confirma; » tertium: « Quocumque in loco consederis, non te cito inde moveris, sed in eo permane. Hæc tria serva, et vives. » Ita *Apophthegm. SS. Patrum.* S. Ephrem, *Adhortatione* 4: « In quo voca-

lus es opere, inquit, firma anchoras ac funes, ne in pelagus navis tua paulatim impellatur; et tunc docebit te experientia, quali pace in portu constitutus fruereis. » Plura hac de re dicam *Proverb. xxvii, 8.*

25. IN PARTES VADE SÆCULI SANCTI, CUM VIVIS ET DANTIBUS CONFESIONEM DEO. — Pars in Scriptura vocatur sors ejusque, juxta illud *Isaia lvi, 6*: « Pars tua, hæc est sors tua. » Itaque in re idem est dicere: « Sta in sorte propositionis et orationis Altissimi, » quod: « In partes vade sæculi sancti. » *Sæculum sanctum* vocat sæculum beatum et beatam æternitatem, quam Sancti agunt in cælo, de quo ait Sapiens, cap. v, 5: « Et inter sanctos sors illorum est. » Et *Daniel. cap. vii, 27*: « Regnum, et potestas, et magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo sanctorum Altissimi: ejus regnum, regnum sempiternum est. » Et *Isaia ix, 6*, Christus vocatur « Pater futuri sæculi; » et cap. xxvi, 4: « Sperastis in Domino in sæculis æternis. »

Fuse hoc *sæculum sanctum* signatorum et electorum Dei describit Esdras (ad quem hic alludit Siracides), libro IV, cap. ii, 34: « Expectate, inquit, pastorem vestrum, requiem æternitatis dabit vobis: quoniam in proximo est ille qui in fine sæculi adveniet. Parati estote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per æternitatem temporis. Fugite umbram sæculi hujus: accipite jucunditatem gloriæ vestræ, etc., gratias agentes ei qui vos ad cælestia regna vocavit. Surgite, et state, et videte numerum signatorum in convivio Domini, » etc. Esdras sequitur S. Joannes, *Apocal. vii*. Rursum Esdras, cap. vii, 12, sæculum sanctum a præsentis maligno distinguens: « Facti sunt, inquit, introitus hujus sæculi angusti, et dolentes, et laboriosi: pauci autem et mali, et periculorum pleni, et labore magnopere fulti. Nam majoris sæculi introitus spatiosi et securi, et facientes immortalitatis fructum. » Nam sæculum nostrum quod in hac vita agimus, totum in maligno positum est.

Sensus ergo est, *q. d.* Tu jam a peccato, atque a vanitate et cupiditate sæculi hujus ad Deum conversus, illo relicto vade ad sæculum sanctum, nimirum per bona opera quotidie contendere, profice et perge ad cælum, ut inter Beatorum partes, id est sortes, una pars sæculi sancti, id est, una sors beatæ æternitatis et futuræ gloriæ, tibi obtingat; vive sanctæ æternitati, adeoque illam hic inchoa per Dei confessionem, id est laudem, ut scilicet Deum assidue laudes tam corde quam ore et opere cum justis, qui adhuc vivunt, et dant laudem Deo; versare cum Angelis, jubila cum Beatis: cœlitum enim et Beatorum vita non est aliud quam continua Dei laus, quam perenne Alleluia. Unde *Psal. cxli, 6*, et *Psal. xli, 5* et *6*, cœlam vocatur terra viventium, locus tabernaculi admirabilis, domus Dei, ubi est vox exultationis et confessionis, et sonus epulantis. Vide dicta

Apocal. iv, 8, et cap. v, 9, et cap. vii, 10. Ita Rabanus, Lyranus, Hugo, Jansenius, Palacius et alii. Audi Rabanum: « Sæculum sanctum, inquit, est quies æternæ vitæ, quæ alibi nuncupatur sæculum æternum et sæculum sæculi, seu sæcula sæculorum. Necessarium est ergo unicuique, ut dum vivit et valet, locum sibi æternæ beatitudinis recte credendo, et bene operando præparet, quia post finem istius vitæ non est tempus operationis. Unde Christus suos admonuit: Ambulate dum lucem habetis, ne forte tenebræ vos comprehendant, » *Joan. xii, 35*; et Paulus: « Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, » *Galat. vi, 10.*

Tropologice, noster Jacobus Alvarez de Paz *De Vita spirit.* lib. V, parte II, cap. xxiii: In partes, inquit, sæculi sancti transire nihil aliud est, nisi Sanctorum, qui nos præcesserunt, virtutes addiscere; et cum vivis Deumque confitentibus commorari, est Sanctorum præsentium virtutes insequi, ut sic Christo sponso nostro poma nova et vetera, id est, virtutes præteritorum Sanctorum et præsentium, offeramus. Ita S. Antonius, teste S. Athanasio, studebat singulorum virtutes imitari. Simili modo Franciscanus proponat sibi exemplar vitæ S. Franciscum, S. Antonium Patavinum, S. Bernardinum; Dominicanus S. Dominicum, S. Thomam Aquinatem, et S. Hyacinthum; Societas Jesu, S. Ignatium, S. Xaverium, B. Franciscum de Borgia, B. Aloysium, etc. Ita quisque ibit in partes sæculi sui sancti.

Hujus sententiæ vice Complutenses cæterique Græci hanc habent, *Altissimo quis laudem dicet in inferno, pro viventibus et dantibus confessionem*, id est, ut alii vertunt, *vice vivorum et gratias agentium*; Tigurina, *quis apud manes laudabit Altissimum, perinde atque vivi gratulationi dediti, q. d.* Inferi non laudant Deum, sed superi, puta viventes super terram. Quare dum vivis, lauda Deum; nec enim eum apud inferos laudare poteris. Intellige eo modo quo explicabo vers. seq. Igitur vadit in partes sæculi sancti, qui cum Angelis et Sanctis perpetim laudat Deum, qui cum Noe et Henoch ambulat cum Deo; hic fit divinus, et quasi Deus quidam terrestris. Unde S. Augustinus, tract. 2 in *Epist. I S. Joannis*: « Talis, inquit, est quisque, qualis est ejus dilectio. Terram diligis? terra eris. Deum diligis, quid dicam? Deus eris. » Quin et Aristoteles, lib. I *Politie*: « Homo solitarius, inquit, aut Deus est, aut bestia. » Deus, scilicet, si cum Deo jugiter versetur, in eumque totum cor, mentem et amorem transfundat, ut dicat cum S. Paulo: « Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus, » *Galat. ii, 20*. Hoc faciunt Ascetæ, quorum tota conversatio in cœlis est cum Deo et Angelis, qui proinde in terra corpore duntaxat degunt, cœli animo terrena cuncta transcendunt, quasi soli cum solo Deo in mundo versarentur; quod Itali dicunt: *Dio et io, Dio amor mio.*

26. NON DEMORERIS IN ERRORE IMPIORUM, ANTE MORTEM CONFITERE. A MORTUO QUASI NIHIL, PERIT CONFESSIO, — *q. d.* Noli morari in errore, quo impii dum vivunt, indulgentes suis voluptatibus et concupiscentiis, persuadent sibi se in morte et in morbo æthali, vel post mortem conversuros ad Deum, eumque laudaturos, cum anima soluta a corpore nihil terrenum amplius appetere poterit; sed « ante mortem confitere. » Causam subdit: « A mortuo enim quasi nihil, perit confessio, » *q. d.* A mortuo tanquam qui nihil est, id est, non existit, non est in rerum natura, perit confessio, hoc est, laus Dei utilis et meritoria, quæ scilicet eum ducat in partes sæculi sancti, ut mereatur ibi eadem proficere, ac cum Angelis et Beatis jublando Deum glorificare in æternum, uti præcessit; nullum enim meritum est post hanc vitam; imo tunc nemo laudabit Deum, qui eum in hac vita non laudavit: nam impii omnes, qui Deum in hac vita non laudavit, sed vel voce vel vita blasphemaverunt, in gehenna ab eo cruciati, longe magis eum blasphemabunt. Audi Rabanum: « Morari in errore impiorum, certa est perditio hominum, quia post finem præsentis vitæ in nihilum deputabitur omnis pompa humanæ gloriæ; qui autem spatium præsentis vitæ in divina consumit laude, et in ista, quamdiu vixerit, semper instat operatione, hic postmodum feliciter remuneratus, in æterna exultat beatitudine. Unde Ecclesiastes more suo nos admonens instruit, cap. ix, ne perdamus otium concessi temporis, sed ad utilitatem nostram illud convertamus, ita dicens: Nemo est qui semper vivat, et qui hujus rei habeat fiduciam. Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. »

Alludit ad *Baruch* cap. ii, 17: « Vide, quia non mortui, qui sunt in inferno, dabunt honorem et justificationem Deo, sed anima, quæ tristis est, » etc. Vide ibi dicta: ubi hanc et similes *Isaia* cap. xxxviii, 19, et *Psal. cxiii, 26*, sententias fuse explicui.

Hinc patet confessionem hic proprie significare laudem et gratiarum actionem. Hebr. enim *הודה* *hoda*, id est *confiteri*, significat laudare, quia agnitio et confessio summæ majestatis Dei, ac ex adverso imæ nostræ vilitatis, summa est Dei laus. Unde sacrificium *הודה תודה* *thoda*, id est *confessionis*, erat illud quod offerebatur in laudem et gratiarum actionem Deo. Hæc tamen confessio et laus Dei involvit et præsupponit confessionem criminum, præsertim quia agit Siracides de peccatis, et peccatore ad Deum per penitentiam et confessionem converso, ideoque pro hoc remissionis peccatorum et reconciliationis beneficio, Deum confitente et laudante: confessio enim peccatorum præcepta erat etiam lege veteri penitentibus, idque non tantum ut fieret Deo, sed et sacerdoti, uti ostendi *Levit. v, 5*, et alibi.

Quocirca hunc locum de confessione peccatorum explicat S. Augustinus, *De Verbis Domini secundum Matthæum*, serm. 8: « Confitemur, inquit, sive laudantes Deum, sive accusantes nos ipsos. Pia est utraque confessio, sive cum te reprehendis qui non es sine peccato, sive cum illum laudas qui non potest habere peccatum. Si autem bene cogitemus, reprehensio tua laus ipsius est. Quare enim jam confiteris in accusatione ipsius tui? quare confiteris, nisi quia ex mortuo vivus factus es? Scriptura quippe ait: A mortuo quasi qui non sit, perit confessio. Si perit in mortuo confessio, qui confitetur, vivit: et si peccatum confitetur, atque a morte revixit. Peccati confessor revixit a morte, quis eum suscitavit? » utique nemo nisi Deus. Et inferius: « Sive ergo nos accusemus, sive Deum laudemus, tanquam eum qui sine peccato est prædicamus. Quando autem nos ipsos accusamus, ei per quem resurreximus, gloriam damus. » Sic et S. Ambrosius (vel potius Victor Cartennæ Episcopus), lib. *De Penitentia*, cap. xxviii, tomo V, p. 421: « At cum nobis, inquit, inopinatus sit exitus terminalis, et vitæ nostræ dubia sint ex mortis ignorantia curricula, quomodo sibi quisque superesse ad confitendum tempus existimat, qui temporis sui tempus ignorat? cum utique audiat dicentem Scripturam: Vivens et sanus fateberis, et laudabis, Deum, et in partem vade sæculi sancti cum vivis et dantibus confessionem, » etc. Simili modo de confessione peccatorum hic locus explicatur *de Penitentia*, dist. I, cap. xxxiv *Convertimini*, ubi ex hoc loco probat sine confessione neminem posse resurgere ad vitam gratiæ, sed omnes nolentes confiteri manere in morte peccati: quod si incipiant os ad confessionem aperire, jam Deo donante aliquod initium vitæ participare, uti paulo ante docuit S. Augustinus.

Quocirca S. Hieronymus, epist. 30 *ad Oceanum*, laudat Fabiolam, quod publice peccatum repudiavit prioris mariti, novique superinducti, confessa sit et planxerit: « Quis hoc, ait, crederet, etc., ut saccum indueret, ut errorem publice fateretur, et tota urbe spectante Romana, ante diem Paschæ in basilica quondam Laterani staret in ordine penitentium, Episcopo, presbyteris et omni populo collacrymantibus, sparsum erinem, ora lurida, squalidas manus, sordida colla submitteret? » Et inferius: « O felix penitentia, quæ ad se Dei traxit oculos, quæ furentem sententiam Dei confesso errore mutavit! Hoc idem et Manassen in Paralipomenon, et Niniven fecisse legimus in Propheta, Publicanum quoque in Evangelio: e quibus primus non solum indulgentiam, sed et regnum cœlorum recipere meruit; alter impendentem Dei fregit iram; tertius pectus verberans pugnis, oculos non levabat ad cælum, et multo justificator recessit Publicanus confessione vitiorum, quam Pharisæus

superba jactatione virtutum. » Et paucis interjectis : « Non est confusa Dominum in terris, et ille eam non confundet in caelo. Aperuit eunctis vulnus suum, et decolorem in corpore cicatricem flens Roma conspexit. Dissuta habuit latera, nudum caput, clausum os. Non est ingressa Ecclesiam Domini, sed extra castra cum Maria sorore Moysi separata consedit; ut, quam sacerdos egerat, ipse revocaret. Descendit de solio deliciarum suarum, accepit molam, fecit farinam, et discalceatis pedibus transivit fluentia lacrymarum. Sedit super carbones ignis: hi ei fuere in adjutorium. Faciem, per quam secundo viro placuerat, verberabat; oderat gemmas, linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat; sic dolebat quasi adulterium commisisset, et multis impediis medicaminum unum vulnus sanare cupiebat. »

Mystice, « a mortuo, » id est a manente in peccatis, qui nihil est, id est nullius emolumenti aut pretii apud Deum, « perit confessio, » quia qui peccatis suis adhaeret, nec confiteri vult, nec valet. Ita S. Augustinus, in *Psal.* LXVIII, conc. 1, in fine, explicans illud vers. 16: « Neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum: Magnus, inquit, est puteus profunditas iniquitatis humane, etc. Peccator cum in profundum venerit malorum, contemnet; clausit super eum puteus os suum. Quare clausit os suum? Quia clausit os illius. Perdidit enim confessionem; vere mortuus est, impletumque est in eo quod alibi dicitur: A mortuo velut quod non sit, perit confessio. Metuenda ista res est vehementer, fratres. Si videris hominem fecisse iniquitatem, mersus est in puteum. Quando autem illi dixeris iniquitatem ipsius, et dixerit: Vere peccavi, fateor; non super eum clausit puteus os suum. Cum autem videris eum dicere: Quid enim mali feci? factus est defensor peccati sui; clausit super eum puteus os suum, qua eruatur non habet. Amissa confessione, non erit locus misericordiae. Tu factus es peccati tui defensor, quomodo erit deus liberator? ut ergo sit ille liberator, tu este accusator. »

Nota: *τὸ ante mortem confitenti jam non est in Graeco, nec in Latinis nonnullis; sed satis ex seq. verbis: « A mortuo quasi nihil, perit confessio, » intelligitur. Pro quo clarius Graeca habent, a mortuo tanquam non existente, puta qui non est, qui non existit, perit confessio. Hinc explicans subdit: « Vivus et sanus laudabit Dominum. » Unde Tigurina clare vertit, ne haereas in errore imptorum. Fac Dominum ante mortem praedices. Mortuum non secus ac si esse desiderit, laudatio deficit: vivus autem et corde sanus laudabit Dominum, et de misericordia ipsius gloriabitur. Vide Franciscum Lucam in *Nothat.* hic.*

27. CONFITEBERIS VIVENS, VIVUS ET SANUS CONFITEBERIS, ET LAUDARIS DEUM, ET GLORIFICABERIS IN MISERATIONIBUS ILLIUS, — quibus tibi poenitenti in-

numeris aliis praeteritis, quos in sceleribus mori et damnari permisit, tot et tanta peccata condonavit, ut patet ex dietis. Complutenses et Tigurina pro *sanus* legunt *sanus corde*, qui scilicet cor a peccatis et concupiscentiis avellens, sanum habet, quia sanatum per Dei gratiam, charitatem et virtutes. Hic enim aptus, habilis et dispositus est ad laudandum, non vero ille qui sanus est corpore, sed aeger, imo insanus est corde et mente, quia servit suis libidinibus. Verum Noster et alii absolute legunt *sanus, q. d.* Dum vivis et viges tam corpore quam mente, confitere, quia languore premente rara est hujusmodi vera confessio, et morte instante rarissima; meretur enim infirmus ut moriens obliviscatur sui, qui vivens oblitus est Dei, ait ex S. Augustino Palacius. Aludit, imo citat verba Ezechiae regis aegrotantis, ac Deum pro sanitate deprecantis, *Isaia XXXVIII, 19.*

Audi consilium S. Basili, orat. 4 *De Poenit.*: « Quid facis, inquit, o homo? eum multum valeas in agendo, juventutem tuam in peccatis traducis ubi vero in labore fracta fuerint instrumenta, tunc ipsa ad Deum adducis, cum illorum nullus sit usus, sed necessario labant ac torpent ob longi temporis tabem. » Et S. Ambrosius: « Quid potest, inquit, habere laudis, si effectum corpus voluptatibus, et jam senectutis gelu frigidum, ad sera devotionis officia, deposito jam senior vigore convertat? » Quin et Seneca, lib. *De Brevit. vitae*: « Non pudet, ait, te reliquias vitae tibi reservare, et id solum tempus bonae menti destinare, quod in nullam rem conferri possit? Quam serum est tunc vivere incipere, cum desinendum est mori! » Denique S. Augustinus, lib. *L, Homil. 41*: « Agens, ait, poenitentiam ad ultimum, et reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus. » Et infra occurrens tacite objectioni: « Debeo, inquit, plenius exponere, ne me aliquis male intellexisse intelligat; numquid dico, Damnabitur? non dico. Sed dico etiam, Liberabitur? non. Sed quid dicis mihi? nescio, non praesumo, non promitto, nescio. Vis te dubio liberare? vis quod incertum est evadere? age poenitentiam dum sanus es, quando peccare potuisti, etc. Si autem vis agere poenitentiam tunc quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa, etc. Sed unde teis, inquis, ne forte Deus dimittat mihi? verum dicis. Unde? nescio; illud scio, hoc nescio. Nam ideo tibi do poenitentiam, quia nescio; nam si scirem tibi nihil prodesse, non darem; item si scirem tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem. Duae res sunt: aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur; quid horum tibi futurum sit, nescio; ergo tene certum, dimitte incertum. »

Tropologice, sanus corde, id est, qui ex corde morbos vitiorum depulerit, et virtutes acquisierit, ut in iis, ac praesertim in humilitate, proficiat, ne confundatur aperire coram fratribus defectus et culpas suas. Nam et sic Deum laudat, ac quia se

misericordiam sustinet, laudabilem praedicat, ideoque gloriabitur in miserationibus ejus, quas ob humilem culparum confessionem accipiet. Quocirca S. Dorotheus, *doctrina 7*, hanc potissimum viam ad Deum assignat, ut homo seipsum in omnibus semper accuset. Et Abbas Pastor virtutes omnes aiebat ad unius domum commigrasse, quae est ut seipsum homo accuset.

28. QUAM MAGNA MISERICORDIA DOMINI, ET PROPITIATIO ILLIUS, CONVERTENTIBUS AD SE! — Complutenses addunt *isais*, *ia est sancte*; Syrus, *quam multa sunt misericordiae Dei, qui parcat iis qui revertuntur ad eum! quia non est hujusmodi in homine, neque consilium ejus est sicut consilia filiorum carnis*; Tigurina, *quam ingens est misericordia Dei nostri, quamque obvia sancta convertis ad eum ipsius placabilitas!* Palacius censet esse mimesin; Siracidem enim imitari verba confitentis, imo modum confitendi, id est laudandi, ei praescribere, nimirum ut remissionem a Deo consecutus, tantum Dei beneficium admirans, exclamet et dicat: « Quam magna misericordia, » etc.

Melius Jansenius censet esse verba Siracidis ad hoc ab eo prolata, ut peccatores ad poenitentiam invitet, per commendationem misericordiae Dei, quae tanta est, ut ore exprimi, mente concipi nequeat; est enim immensa, incomprehensibilis et infinita. Vis scire quanta sit misericordia Dei in peccatorem, quem in gratiam recipit? Metire primo, quanta sint inferni tormenta; horum enim mensura est mensura misericordiae Dei: haec enim ab illis peccatorem reum liberat. Metire secundo, vilitatem et miseriam hominis peccantis; haec omnia omnes sorbet misericordia Dei, sicut mare sorbet guttas pluviae. Unde abyssus miseriam nostram invocat abyssum divinae misericordiae. Metire tertio, multitudinem et enormitatem peccatorum omnium; haec enim cuncta in immensum transcendit Dei misericordia, praesertim quia non tantum illa omnia, quantumvis multa et gravia, condonat et abolet quoad culpam et offensam, sed et pro iis substituit et surrogat Dei gratiam, amicitiam, filiationem, haereditatem et gloriam aeternam. Adde, eandem abolere semper poenitentem partem poenae, ac subinde totam poenam, uti contigit S. Magdalene, ait Lyranus. Vere ergo « superexaltat misericordia judicium, » *Jacobi II, 13*. Magna et incomprehensibilia sunt opera Domini, sed « miserationes ejus super omnia opera ejus, » *Psal. cxliiv, 9*.

Dicat ergo poenitens Deo reconciliatus cum S. Magdalena, cum S. Pelagia, cum S. Maria Aegyptiaca, est similibus: « Misericordias Domini in aeternum cantabo. Deus meus, misericordia mea. Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea, » *Psal. xcii, 17*. « Quoniam secundum altitudinem caeli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se. Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras, » *Psal. cii, 11*.

Eleganter S. Chrysostomus, homil. 2 in *Psal. I*, ad vers. 1: « Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, » eandem exaggerans, exclamat: « O grandis misericordia Domini! Cum omnis mundus conclusus in peccatis esset, venit creator universitatis, et principia peccantium evacuavit, ut nullus postmodum desperaret de sua salute. Si impius es, cogita publicanum; si immundus es, attende meretricem; si homicida es, perspice latronem; si iniquus es, cogita blasphemum. Considera Paulum Apostolum, prius persecutorem, postea annuntiatorem; prius praevicarium, postea dispensatorem; ante hoc zizania, post hoc frumentum; antea lupum, postea pastorem; antea plumbum, postmodum aurum; antea piratam, postea gubernatorem. » Et inferius: « Quid enim est peccatum ad Dei misericordiam? Tela araneae, quae vento flante nusquam comparet. »

29. NEC ENIM OMNIA POSSUNT ESSE IN HOMINIBUS, QUONIAM NON EST IMMORTALIS FILIUS HOMINIS, ET IN VANITATE MALITIAE PLACUERUNT. — Tigurina, *et vitiorum vanitate delectamur*. Dat hic causam illius tantae misericordiae Dei, nimirum, magnam miseriam hominum, ut per eam rursus alliciat homines ad facilem peccatorum confessionem, et ad spem vitae a Dei misericordia impetrandae, *q. d.* Ne mireris tantam esse Dei misericordiam, quia scit Deus homines valde esse fragiles et caducos; quare eorumdem, dum in peccata labuntur, facile miseretur cum resipiscunt, juxta illud *Psal. cii, 13*: « Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se; quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. »

NEC ENIM OMNIA POSSUNT ESSE IN HOMINIBUS, — *q. d.* Non est hominum omnimoda perfectio, quia miseri sunt, debiles et infirmi; ideo nequeunt in eis esse omnia, quae jure inesse deberent, quaeque ab eis desiderantur: quia qui ex homine mortali natus est, non est immortalis, immutabilis et a corruptione liber, inquit Jansenius; sed eo ipso quo ex homine natus, mortem secum trahit, et eum morie instabilitatem, hujus vitae fragilitatem, defectum, corruptionem, et ad vitia proclivitatem; ideoque crebro peccat, et mala vanitate delectatur, ac concupiscentiae vestitae ei placent. « Sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua, » *Gen. viii, vers. 21*. Ita Rabanus, Lyranus, Jansenius.

30. QUID LUCIDIUS SOLE? ET HIC DEFICIET. AUT QUID NEQUIUS QUAM QUOD EXCOGITAVIT CARO ET SANGUIS? ET HOC ARGUETUR. — *τὸ aut ponitur ppc et; cujus phrasia similia exempla sunt Deut. xxvii, vers. 16, Proverb. cap. xx, vers. 20, uti explicatur Matth. xv, 4, et alibi. Rursum τὸ et ponitur pro sic. Est enim nota comparationis; comparat enim defectum carnis cum defectu solis. Unde Graeca sic habent, quid solis luce splendidus? et haec deficient, et (id est sic, pariter) malum cogitabit caro et sanguis. Cui lectioni nostram Latinam*